

„ vini mensuras quatuor , farina modios quatuor , &  
 „ gallinas viginti . A Vico denique , decem habente fu-  
 „ maria , argenteos quinque , agnum unum , hordei mo-  
 „ dios duos , vini mensuras duas , farina modios duos ,  
 „ gallinas decem . In Sacerdotum quoque Ordinationi-  
 „ bus vigorem suum vetus obtinebit sanctio , quemad-  
 „ modum eadem Aurea Bulla recenset , & cuiusque re-  
 „ gionis Episcopus similiter septem dumtaxat aureos  
 „ nummos accipiet : unum quando simplicem Papam si-  
 „ ve Lectorem facit ; tres , quando eundem Diaconum  
 „ ordinat ; & alios tres , quando Sacerdotem perficit .  
 „ Præterea secundum Sanctionem Imperatoris Monoma-  
 „ chi ( *Constantini* ) sel. rec. , Majestas mea statuit , ut  
 „ quum aliqui subiecti territorio cuiuscumque regionis  
 „ Episcoporum , conjugii ritu legitimis uxoribus jun-  
 „ guntur , accipiat Episcopus ab ipsis , a sponso (1) quidem  
 „ nummum aureum unum , a sponsa vero lineum ul-  
 „ narum duodecim , quemadmodum & ab antiquo san-  
 „ ctum est . Itidem de Aërico , si a duobus Sacerdo-  
 „ tibus Clericocolonis culpa provenerit , ut corrigantur  
 „ & castigentur ab Archiepiscopo suo , vel Episco-  
 „ po , secundum Sacrum Canonem , aut pecunia multentur  
 „ , aut etiam puniantur . Sin alterutra pars (2) se-  
 „ cularis est , ut ab ambobus judicentur , tam a Ponti-  
 „ fice , quam regionis Quæstore . Ac si quidem a Sa-  
 „ cerdote orta culpa deprehenditur , ut a Quæstore ad  
 „ Pontificem remittatur , & ab eo canonicè corrigatur  
 „ & castigetur . Sin a seculari culpa proveniat , ut casti-  
 „ getur & puniatur a cuiusque regionis quæstore . Uni-  
 „ versa quidem certe ad animam , quæ spectant , ipsa-  
 „ que adeo Matrimonia , tam dijudicari , quam execu-  
 „ tionum mandari ab Archiepiscopis & Episcopis debent .

(1) Ἀπὸ μὲν  
τῶν γαμβρῶν ,

(2) Τῶν κοσμι-  
κῶν .

Quid sit *Aëricum* , seu *Aërium* , exponit Nicolaus  
 Alemanus , Bibliothecæ Vaticanæ olim Præfetus , No-  
 tis in cap. xxi. Historiæ Arcanæ Procopii : „ Aëricum  
 „ ( *inquit* ) vestigal seu tributum a Justiniano excogi-  
 „ tatum . Johannes Mercerus in editione sui Harmeno-  
 „ puli lib. 1. tit. 4. §. 47. meminit Tituli *περὶ ἀερίων*  
 Lib. II. Nnnn „ ἐπιτάξεως